



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

6. De eius persecutione & fine illius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

tempora templum instaurandum non est. Deinde etiam tunc non proprie instaurabitur, non solum materialiter, quia fortasse tam breui tempore non integrè & perfectè: sed utique reedificabitur, sed etiam formaliter (quo ad rem maximè spectat) quia non instaurabitur in templum veri Dei, sed in sedem Antichristi. Nam licet fortasse in principio, ad decipiendos Iudæos, Antichristus simulaturus sit se velle instaurare templum in cultum Dei (vt Cyrill. Ierololim. supra notauit) tamen re vera, & ex animo non id faciet, nisi ob gloriam suam, & vt ipse in eo colatur & ita semper manebit desolatio, & abominatio desolationis vsque ad finem. Dices: Quomodo ergo Paulus vocat templum Dei, & Christus locum Sanctum illum, qui ad solam superstitionem Antichristi instaurandus erit? Respondetur, appellasse illum locum à primæua eius institutione & dedicatione. Fuit enim ille sanctus, & in templum Dei electus, licet fuerit prophanatus. Ex his ergo constat Antichristum sessurum Ierololymis tanquam in primario, ac regio loco, quem potissimum eligit vt ibi colatur.

Rursus quod diutius ibi sessurus sit, colligi potest ex Apocalyp. 11. vbi aperte dicitur Eliam, & Henoch fore occidendos ab Antichristo Ierololymis, vbi Dominus eorum crucifixus est. Cum ergo Elias & Henoch mittendi sint, vt Antichristo resistent, & Ierololymis prædicaturi sint, ibidemque morte sua testimonium redditori veritatis, quam prædicauerunt, signum manifestum est, ibi potissimum sessurum Antichristum, eamque futuram esse quasi radicem, & cathedram falsæ doctrinæ, ac persecutionis eius. Scio Hieron. epist. 17. ad Marcel. locum hunc de mundo, & non de Ierusalem interpretatum esse, ductum studio laudandi, & honorandi Ierusalem, ad quam Marcellam inuitabat: tamen literalis sensus est, quem diximus, quem omnes interpretes sequuntur. Neq; obstat, quod obijcit Hieron. supra, quod Ierusalem eo loci Sodoma vocetur, quando quidem principes eius, principes Sodomorum dicuntur Isa. 1. Deniq; ex ijs, quæ diximus, Antichristum futurum esse genere Iudæum, & in Iudæis maximè esse negaturum, statim credibile fit, eum potissimè instauraturum ciuitatem Patrum suorum, de qua, ac de templo suo ipsi maxime gloriantur. Vnde etiam fit, vt vel ob hanc causam in eo potissimum colli loco, & honorari studeat. Potest hoc etiam confirmari, quia, (vt postea videbimus) Sancti docent, Antichristum fore occidendum in monte Oliueti: ergo signum est ibi potissimum esse regnaturum, vt etiam Theod. & Hieron. colligunt ex Dan. 11.

Contra hanc verò sententiam, hæretici huius temporis (solum, vt contra Apostolicam sedem blasphemant) fingunt Antichristi sedem in Romana ciuitate esse futurum, cum nullo id fundamento niti queat, & potius ex Apoc. 17. colligi possit: Vrbem, vel iam antea euersum iri adueniente Antichristo, vel certe ab ipso, & ministris eius esse euerendam.

SECTIO VI.

Qualis sit futura Ecclesiæ persecutio sub Antichristo, & quis finis, ac consummatio eius.

Primo certum est, Antichristum persecuturum esse Ecclesiam, & fideles, ac Sanctos acerbius, & crudelius, quam ab vilo vnquam tyranno tentari, aut affligi fuerint. Hoc de fide est: at enim Christus Matth. 24. Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, vsque modo, neq; fiet. Et de hac tribulatione dicitur Dan. 7. Et ecce cornu illud faciebat bellum aduersus sanctos, & preualebat eis: Et infra, Sanctos altissimi conteret: & putabis, quod possit mutare tempora & leges, & traduntur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidiū temporis. Idem colligitur ex cap. 8.

A & 11. & 12. quorum verba omitto ad prolixitatem vitæ admodum, licet grauissima sint, & statim illa attin- gemus. Præcipue verò Ioan. Apoc. 20. hanc atrocem persecutionem describit, dicens, Cum consummati fuerint mille anni, soluetur Satanus de carcere suo, & ex- ibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos ter- ra Gog, & Magog, & congregabit eos in prælum, cuius nu- merus est sicut arena maris, & ascenderunt supra latitu- dinem terra, & circueverunt castra Sanctorum, & ciuita- tem dilectam, id est, vniuersam Ecclesiam, vt expo- suit Augustinus 20. de Ciuitate capite vndecimo, Lactant. lib. 7. c. 24. & sequentibus. Cauendus tamè est error illius, & aliorū Chiliastarū intelligentium hunc locum non de persecutione Antichristi, sed de alia, quam existimarunt passuros Sanctos post mille annos felicitatis huius vitæ, quam non dicunt esse persecutionē Antichristi: hanc enim ante mille an- nos antecessuram sentiunt. Quæ sententia & in erro- re fundatur, & aperte repugnat Euangelio Matth. 24. & 25. & alijs testimonijs Scripturæ, quibus supra probatum est, statim post Antichristi mortem, futu- ram esse mundi consummationē. Hinc enim ne- cessario fit, Antichristi persecutionē futurā postre- mam: non ergo potest ille locus de alia posteriori persecutione intelligi. Neque etiam potest exponi de persecutione aliqua, quæ persecutionem Anti- christi antecesserit, vel antecessura sit, quanquam id insinuet Ambros. lib. 2. de fide c. vltimo, in fine, per Gog, Gothos intelligens. Quia Ioannes dicit, illam persecutionem futuram post mille annos, id est, in fine durationis Ecclesiæ, vt supra exposuimus. Vn- de etiam dicit, post illam persecutionem, vniuersa- lem resurrectionem statim futuram: necesse est ergo intelligi de persecutione Antichristi. Est autem in illis verbis Ioannis obscurū, quid per Gog, & Ma- gog, intelligatur. In quo laborant Aug. dicto c. 11. lib. 20. de Ciuit. & Hieron. Ezech. 38. & 39. Sed non est nostri instituti in hoc immorari, lege Franc. Riber. in id c. Apoc. Denique ait Ioannes, ad commouen- dam, & concitandam hanc persecutionem solu- dum esse Satanam, qui vsque ad illud tempus liga- tus fuerat, vt significet, tanto fore persecutionem illam diuiniorem, quanto magis potest aliquis nocere solutus, quam ligatus, lege August. 20. de Ciuitat. cap. 8. & 9.

Secundò dicendum est persecutionem hanc non tantum futuram esse temporalem, sed etiam spiri- tualem, atque ita tam in prauo fine persecutorum, quam in medijs fore acerbissimam. Explicatur, & probatur. Quia in primis certum est, hanc persecu- tionem, quæ per modum prælij in dicto loco Apo- calypsis describitur, non esse præcipue futuram ad vsurpanda temporalia bona, nec propter hunc so- lum finem inferenda bella, & temporalia damna, quæ illam consequuntur (talis enim perfectio non esset magni momenti cum alia comparata) erit ergo, auertendum homines à fide, & vero Dei cultu, vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Hanc igitur vocamus spiritualem persecutionem ex par- te finis, & prauæ intentionis persecutorum, nocu- mentique illatijs, quos in persecutiōe vicerint. Deinde ex hoc cap. erit grauissima persecutio. Pri- mo, quia cogentur fideles negare Iesum esse Chri- stum, aut Dei filium. Secundo cogentur, & Dei cultum omnesque ritus, ac caeremonias Christianas deferere, propter quod Daniel. 12. dicitur, eo tem- pore auferendum esse iugum sacrificij, quod de tem- pore Antichristi intelligunt ibi Hieron. & Theod. Iren. & Hippol. locis supra citatis, quo tempore om- nem cultum diuinum, qui à Christianis exhibe- ri solet, cuiusque suprema pars est sacrificium Eu- charistiæ, ad quod cætera omnia referuntur, ces- saturum dicunt persecutionis acerbitate, & violen- tia. Tercio (quod grauissimum est) cogentur verum Deum abnegare, noliq; supremo nomini cultum exhi-

Persecutio
Ecclesiæ sub
Antichristo
omnium a-
cerbissima.
Matth. 24.
Dan. 7.

Dan. 8. 11.

Apoc. 20.

August.
Lactant.

Matth. 24
& 25.

Ambros.

Gog, & Ma-
gog, quid
August.
Hieron.

August.
cap. 8. & 9.

Antichristi
persecutio
temporalis
& spirita-
lis
Matth. 24.

Dan. 12.

Hieron.

Theod.

Iren.

Hippolyt.

exhibere : sed tantum cuidam homini mortali omnium iniquissimo, nimirum Antichristo, ut colligitur ex 2. ad Thess. 2. & ex alijs locis supra tractatis. Quapropter, ubi Antichristus in persona sua praesens non adfuerit, cogetur fideles imaginem eius, seu eum in imagine adorare, & hoc modo Antichristus per se, vel sui imaginem sedebit in omnibus templis, & Ecclesijs Christianorum, ut ab eis tanquam Deus adoretur. Hæc omnia colliguntur ex Apocal. 13. ubi, præter Antichristum, dicit Ioannes, se vidisse aliam bestiam (quam supra diximus fore tyrannum aliqueum Antichristo subditum, & ministrum eius) de quo ibidem scribitur, *Dicit habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiae, quæ habet plagam gladij, & vivit: & infra, Et faciet, ut quicunque non adoraverint imaginem bestiae, occidantur.* Quorum verborum literalis sensus videtur supra positus. Vnde inter falsa miracula ministrorum Antichristi ibidem ponitur, quod facient loqui imaginem bestiae, quod multi referunt ad homines sectatores Antichristi, sed re vera propriè, & ad literam intelligendum videtur de effigie, & simulacro Antichristi. Atque hinc colligo, quamvis Antichristus omnè aliam publicam idololatriam detestatur sit: nihilominus effecturum, ut fideles omnes ad horrendam idololatriam inducat. Quæ enim maior, aut detestabilior idololatria esse potest, quam Divinum cultum tribuere iniquissimo homini, & imagini eius? Ultimo efficiet, ut omnes, in professione, seu potestatem huius cultus, characterem bestie, seu Antichristi publice deferant in frontibus, seu in manibus, ut habetur eodem cap. 13. Apocalyp. *Et faciet omnes pusillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & servos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis, & subditur, tamen necessariam futuram omnibus huiusmodi characteris gestationem, ut non possint emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiae, aut numerum nominis eius.* Quod autem hoc signum non solum futurum sit in recognitionem temporalis subiectionis: sed maxime in professionem superstitiosi cultus, ex eo colligi potest, quod in maximam laudem Sanctorum prædicatur, quod characterem bestiae non acceperint, & è contrario æterna poena puniuntur, qui illum acceperint; Apocalyp. 14. 16. 19. & 20. quibus locis illa duo coniunguntur, nempe, *adorare imaginem bestiae, & accipere characterem eius*, tanquam æque superstitiosa, & Divino honori contraria. Vnde D. Thom. infra q. 63. art. 3. ad 3. dixit characterem bestiae esse professionem illiciti cultus. Qui autem futurus sit hic character Antichristi, incertum est, solum cogitare possumus, futurum esse aliquod signum, quod Antichristus instituet, quasi ad sigillandum cultores suos, sicut nos possumus dicere, signum crucis esse characterem Christi. Ita sentit Lactant. li. 7. c. 17.

Ultimo facile etiam intelligi potest, futuram esse gravissimam illam persecutionem, etiam ex parte mediorum, qualia sunt illa quatuor, quibus supra diximus Antichristum usurum ad suam doctrinam persuadendam, scilicet, eloquentia verborum, amplissimis largitionibus, ac divitijs, signis mirabilibus, vi, exquisitisque tormentis. De quibus nihil in particulari dici potest, quia nihil in Scriptura reuelatum est. Non est dubium tamen, quin illa tormenta sint futura plura, & graviora, quam à Christo persecutoribus infligita vnquam fuerint. Quod, præter loca Scripturæ supra citata, facile colligi potest tum ex maiori potestate Antichristi, & ministrorum eius, tum etiã, quia daemon illo tempore solutus maiorè licentiam habebit homines varijs tormentorum generibus efficiendi. Quapropter acute dixerunt Cyr. & Hippolyt. citatis locis, eo tempore futuros esse martyres illustriores, quia priores pugnarunt contra homines ministros diaboli: ij verò contra ipsum demonem solum, & omnes vires suas contra illos

Fr. Suarez. tom. 2.

A exercentem. Accedit tandem, illam persecutionem fore vniuersalissimam per totum orbem, ut apertè colligitur ex Apoc. 13. & 20. *Ascenderunt super latitudinem terræ, & circumierunt castra Sanctorum.* Ex quo loco notat Aug. 20. de Ciuit. c. 9. omnes prauos homines hæreticos, & similes coniungendos esse Antichristo, ut vbiq; fideles persequantur.

Tertio dicendum est, per hanc persecutionem maiorem fortasse fidelium partem à Christo defecturam: nihilominus tamen militantem Ecclesiam non esse vi persecutionis extinguendam. Prior pars colligitur primò ex ipsa persecutionis acerbitate, & ex modo, quo in Scriptura describitur. Vnde Dan. 7. dicitur, *Eccle cornu illud faciebat bellum aduersus Sanctos, & praeualebat eis:* & Apoc. 13. *Et est datum illi bellum facere cum Sanctis, & vincere eos:* & Christus ad exaggerandam multitudinem eorum, qui à fide deficient, dixit, *Ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi, & Luc. 18. Cum venerit Filius hominis, putas ne, inueniet fidem in terra?* Potest deniq; colligi ex illis verbis, 2. ad Thess. 2. *Nisi venerit discissio primum.* Nam, licet (ut supra dixi) pleriq; Latini interpretentur de defectio ne Romani imperij: tamen propriùs intelligitur de defectione à Christo. Nam verbum Græcum est, *ἀποστασία*, & ita interpretantur omnes Græci, & Aug. 20. de Ciuit. cap. 19. Quamuis enim sæpe contigerint in Ecclesia defectiones à Christo propter persecutiones hæreticorum, vel tyrannorum: illa tamen, quæ futura est sub Antichristo, quasi per antonomasiam Apostasia dicitur, quia erit maior, & vniuersalior cæteris. Vnde Lanctan. lib. 7. cap. 16. dicit de cultoribus Dei duas partes interituras: sed de hoc nihil certè affirmari potest.

Posterior pars de fide certa est, ut notauit Aug. 20. de Ciuit. c. 11. Quia non potest Christus Ecclesiam suam ita deserere, ut omnino vincatur. Nam porte inferni non praeualebunt aduersus eam: & ideo idem Christus dicit Matth. 24. *Propter electos breuiabuntur dies illi.* Erunt ergo multi electi, qui non vincantur, & in quibus Ecclesia manebit. Et ideo in Apocal. semper ponitur illa limitatio, *Adorauerunt bestiam omnes, qui inhabitant terram, quorum non sunt nomina scripta in libro vite.* Patres etiam supra citati supponunt, tunc futuros esse multos, & eximios martyres, qui vsque ad mortem erunt in fide constantes: ergo pari modo in montibus, & speluncis perseuerabunt multi confessores, qui superstities manebunt post mortem Antichristi. At in eis non deficiet vsus sacramentorum & sacrificij Eucharistici in locis abditis. Persecutores enim non poterunt hæc auferre nisi in eorum cognitionem venerint: non permittet autem Deus, demonem aut omnia Sanctorum abdita loca perustrare, aut persecutoribus reuelare. Atque in hunc modum sunt piè intelligendi Catholici scriptores, si quando dicunt eo tempore defecturam fidem in vniuerso orbe, aut quid simile. Lege Sot. in 4. d. 46. q. 1. ar. 1.

Quarto & ultimo dicendum est, tam Antichristum, quam ministros eius Ecclesiæ persecutores speciali Christi virtute, atque imperio interficiendos esse. Hæc assertio sic absolute proposita videtur de fide. Nam de Antichristo ait Paul. 2. ad Thess. 2. *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui.* Quod nonnulli ita intelligere videntur, ut Christus Dominus in persona descensurus sit, ut aduentu suo Antichristum interficiat, quod significat Lanctan. dicto lib. 7. c. 19. Non est autem hoc verisimile: Quia secundus Christi aduentus erit quadraginta quinque diebus post mortem Antichristi: neq; Paulus dixit à Christo occidendum Antichristum per aduentum, sed illustratione aduentus sui, id est, aliquo signo & prælagio, quod erit quasi splendor quidam appropinquantis aduentus ipsius. Neque dixit, suis manibus, sed spiritu oris sui, id est, præcepto, & mandato suo, ut ibi D. Thom. exponit & D. Thom. signi-

lii

signi-

Chrysost.
Hier.
Theod.

significat Chrysost. hom. 4. in 2. ad Theff. dum ait, sufficit solum iubere: & idem sentiant alij interpretes, & Hieron. ac Theodo. Dan. 11. Addit vero D. Thom. ibi, Michaellem Archangelum iussu Christi interfectorum Antichristum, in monte Oliueti. Sed hoc & est incertum, & intelligendum est iuxta supra dicta. Quod autem simul cum Antichristo igne de cælo missio perimendi sint alij persecutores Ecclesiæ, patet ex illis verbis Apoc. 20. *Descendit ignis à Deo de cælo, & deuorauit eos.* Christus etiam dicens, propter electos futurum breue tempus illius persecutionis, satis significat intra illud breue tempus esse ubiq; finiendam. Sancti etiam supra citati docent, illos quadraginta quinq; dies post mortem Antichristi vsq; ad iudicium concedendos esse iustus ad requiem: peccatoribus autem ad penitentiam. Existimo ergo, vel diuina virtute futurum esse, vt eadem die, qua interfectus fuerit Antichristus, ubiq; interficiantur ministri eius, quia vt dicitur Ezech. 38. *Gladus vnus cuiusq; in fratrem suum dirigetur, & indicado sua per eum peste, & sanguine, & igni vehementi, & lapidibus immensis.* Vel certe (vt supra ex eodem Ezechiele dicebamus) ante diem interfectionis Antichristi, incipient interfici fautores eius omnibus supradictis modis donec intra paucos menses omnino imperiū eius destruat. Et ipse cū p̄cipio Pseudopropheta suo in stagnum ignis viui descendit.

Apoc. 30.

Ezech. 38.

DISPUTATIO LV.

In tres Sectiones distributa.

De bonis præcursoribus secundi aduentus Christi.

Postquam dictum est de Antichristo, qui non vt præcursor, sed vt acerrimus hostis, & persecutor Christi, & Christianorum, secundum aduentū Seruatoris nostri præueniet, sequitur vt de bonis præcursoribus eiusdem aduentus differamus. Sicut enim in superioribus agēs de primo Christi aduentu, disputationem de Ioanne Baptista illius præcursore præmisimus: ita oportet hoc loco de præcursoribus secundi aduentus differere. Est autem discrimen inter præcursores vtriusq; aduentus, quod Ioannes Baptista ijs temporibus natus est, educatus, ac penitentiam egit, in quibus testimoniū Christo reddidit, & suum præcursoris ministerium expleuit, ac tandem mortuus est. At vero ante secundum aduentum non sunt promissi in Scriptura præcursores, qui eo tempore nascitur sint, vt nouo exemplo vitæ, & doctrinæ Christo testimonium reddat: sed ex veteribus illis hominibus, qui ante multa sæcula præcesserūt, Henoch, & Elias venturi creduntur, vt homines præsertim Iudeos ad secundū Christi aduentum disponant. Quamobrem de horum præcursorum genere, vitæ conditione, & sanctitate eximia, quam dum inter homines degerent, consecuti sunt, non est, quod hoc loco disputemus. Pertinent enim hæc (vt ita dicam) ad veterem eorū statum, aliudq; vitæ, & officij genus, quod olim tenuerunt: quæ omnia in veteri testamento satis perspicua, expressaq; sunt. Explicandum ergo nobis erit primum vnde venturi sint: & consequenter an nunc viuunt: vbi & quomodo viuunt: deinde quando, & quomodo venturi sint, quid agent, & quem tandem finem habituri sint: postremo inquiremus, an præter hos duos alius eis sit futurus comes, Christi præcursor.

SECTIO I.

Vtrum Elias, & Henoch nunc viuunt, vbi, & quomodo.

Ex. Senen.

DE Elia nullum circa hoc fuisse errorem repetio. De Henoch vero Iudæi quidam (vt Sixtus

A Senensis refert lib. 2. Bibl. sanctæ) afferunt, mortuum esse ante tempus, ne malitia immutaretur eius, ita exponentes illud Genes. *Non apparuit, quia tulit eum Dominus.* Solet enim Scriptura hoc dicendi modo mortem significare, Iob. 32. *Nescio enim, Iob. 32. quamdiu subsistam, & si post modicum tollas me factor meus.*

B Dicendum vero est primo, Henoch, & Elia hæc tenus non obijisse mortem, sed corpore, & animo viuere. Est de fide. Et de Henoch patet ex prædicto loco Genes. Illa enim Iudeorum interpretatio stare non potest. Primo quia ex diuerso modo loquendi de Henoch, & de alijs constat, aliquid speciale de illo dici. Secundo id satis ostendunt antecedentia verba, *Ambulauique cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Dominus.* Vbi Septuaginta, ad sensum magis explicandum, verterunt, *quia transtulit illum Deus:* & eodem modo legit Philo Iudæus in libr. de vita sapientis. Tercio id aperte testatur Sapiens Eccl. 44. *Henoch placuit Deo, & translatus est in paradysum, vt det gentibus penitentiam, & adhuc apertius Paulus ad Hebr. 11. Henoch translatus est, ne videret mortem.* Dices, ex his solum probari non fuisse mortuum quando transtulit illum Deus: tamen quod postquam translatus est, nunquam ibi mortuus sit, vnde constat? Nam Philo supra, significat illam translationem solum fuisse per quandam separationem à consortio, & frequentia improborum hominum, ad locum vulgo ignotum, & vix pauci vsq; præstantissimi viri cognitum. In quo significat tantum fuisse translationem quandam ad solitariam, & quasi eremiticam vitam. C Agendam: non ergo est necesse, vt ibi adhuc viuatur. Respondetur, quamuis fortasse ex loco Genes. per se sumpto id non conuincatur: tamen ex alijs locis adiunctis id satis concluditur. Quia Paulus ait *translatum esse, ne videret mortem*, sentiens non esse mortuum, in eo loco, ad quem translatus est. Sapiens etiam dicens, *translatum esse vt det gentibus penitentiam*, sentit, non esse mortuum: donec illud munus expleat. Huc accedit communis traditio, & consensus Patrum, quos statim referemus.

D De Elia est manifestus locus 4. Reg. 2. vbi refertur Deum transtulisse Elia per turbem in calum, & latius Eccl. 48. dicitur. *Receptus est & tectus in turbine, & inscriptus in iudicio temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor Patris ad filium, & restituere tribus Iacob, & alia loca postea afferemus.*

E Secundo probatur ex traditione Sanctorum. Augustinus libr. 1. de peccator. meritis cap. 3. Neque Henoch (inquit) & Elias per tam longam ætatem senectute maruerunt: & lib. 2. de gratia Christi, seu de peccato orig. ca. 23. inter quæstiones, quæ ad fidem non spectant, ponit, vbi modo sint Elias & Henoch, quos tamen (inquit) non dubitamus, in quibus nati sunt, corporibus viuere, idem lib. 9. Gen. ad litteram c. 6. Hieron. epist. 61. ad Pammachium, Henoch (inquit) translatus est in carne, & Elias carneus translatus est in calum, nec dum mortui, & paradisi iam coloni, habent quoque membra, cū quibus rapiti sunt, atque translati. Quod nos imitatur ieiunio, illi possident Dei consortio: vescuntur caelesti pane, & saturantur omni verbo Dei, habentes eundem Dominum, quem & cibum. Idem Ambr. libr. 4. de fide cap. 1. & lib. 2. in Lucam sub finem, Gregor. libr. 9. Moral. cap. 4. & li. 21. ca. 36. Cyprian. li. de montibus Sinæ, & Sion, Tertull. li. de anima, capit. 35. & 50. Translatus est Henoch, & Elias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet: & lib. contra Iudeos, capit. 2. hæc ratione vocat Henoch. æternitatis candidatum, & lib. de resurrectione carnis, capit. 58. de vtroque loquens inquit, *Æternitatis candidatus, ab omni vitio, ab omni damno, ab omni iniuria, & contumelia immunis æternitatis ediscunt.* In eadem sententia est Irenæus libro 4. contra hæreses, capit. 30. vbi de Henoch fæloquitur, *Translatus est, & conseruatus vsque nunc testis iusti iudicii Dei.* Idem tradit Iustinus in quæstio. 85. ad Orthodoxos. Iustinus Optime

Genes. 2.

Henoch ad. hic vinit.

Genes. 2.

Philo.

Eccl. 44.

Hebr. 11.

Obiectio.

Philo.

Elia, et Henoch adhuc viuunt.

4. Reg. 2.

Eccl. 48.

August.

Hieron.

Ambr.

Greg.

Cyprian.

Tertullian.

Irenæus.

Iustinus.